



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 6. De audienda Concione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

Heb. 1: 2. namque constitutum scribit Apostolus *Herodem uniuersorum*, ideòque nil ei in te subtrahas, nil deneges. Prodas denique ei necessitates tuas, flagites pietatem, ad hoc vix ulla commodior occasio: at eam te, non hoc solùm die verùm & omnibus vitæ tuæ, exhibeto, ut elucescat quòd non in vacuum gratiam Dei recipias: tene eum apud te nec dimittas à te: „ Oportet enim (instruit ille *4. Imit. 12* per Kempæum) ut non solùm te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicitè conserues in ea post Sacramenti perceptionem, nec minor custodia post exigitur, quàm deuota præparatio priùs: nam bona postmodum custodia optima iterum est præparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Cave à multiloquio, mane in secreto & fruire Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum cui te totum dare debes, ita ut jam ultra non in te sed in me absque omni solitudine vivas.

§. VI.

De Audienda Concione.

c. 2. v. 14. **E**A Amantium indoles, ut non modò mutuam præsentiam ac confabulationes suspiret: *Ostendit mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vos enim tua dulcis & facies tua decora*, in Canticis aliqua dicebat: sed & interim, dum hæ negantur, ad de se mutuo relationes audiendas anhelet, quæ æquè ac

ac illæ amoris fomenta: *num* quid, inquirebat eadem
 illa *quem diligit anima mea vidistis?* est in te non spu- *Cant. 3:3.*
 rius sed germanus amor erga Animæ tuæ Sponsum?
 affecta præsentiam ejus per sacram Communionem,
 colloquia cum eo in Oratione & Meditatione, sed
 & nuntia de eo è Concione: ibi namque audies ubi-
 nam ille moretur, quid egerit & quid adhuc dum a-
 gat, quidque, quod caput est, à te requirat, ideoque
 D. Bernardo dicta *Schola Christi & Auditorium spi-* *Serm. de*
rituale. *S. Joan.*
Bapt.

PRIMÒ itaque Concionatorem considerabis tan-
 quam nuntium ad te à Sponso tuo ablegatum, quo-
 eum titulo honorat Apostulus, dum Prædicatores *2 Cor. 5:*
 exarat *pro Christo legatione fungi: sicut Angelum Dei,* *20.*
 Galatis in eorum laudem scribit idem ille Doctor *Gal. 4:14.*
Gentium, excepistis me, sicut Christum Jesum, quo
 circa eos æmulata tuâ culpâ nullam negliges Concio-
 nem, verùm ad eam audiendam ducet te & impellet
 sancta curiositas. *Magdalena sedens secus pedes Do-* *Luc. 10:*
mini audiebat verbum illius, non tibi datum illud ex- *39.*
 cipere ex ore ipsiusmet Jesu? anhela ad illud intel-
 ligendum ab eis, quos loco sui mittit ad te: eos ne-
 gligere aut flocci facere malum signum.

SECUNDÒ, ea, quæ pro Concione audies,
 non ut Concionatoris, sed ut Dei verba excipies:
 Thessalonicensibus ad eorum laudem hunc sen-
 sum ascribit Apostolus: *Cùm accepissetis à nobis* *1 Thess. 2:*
verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum *13.*
hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei. Cur nam-
 que super Apostolos in die Pentecostes è cælo de- *Act. 2: 3.*
 pluerunt linguæ igneæ, nisi ut scires Deum esse, qui
 ad erudiendos homines eorum linguâ uteretur?
 quo

quo intuitu suam *Calamum scribae velociter scriberis* inscribit Psalmographus, Christumque loqui in
2 Cor. 13: se confitetur Apostolus, ideoque.

3. TERTIÒ ut, quæ audies, intelligas, humili supplicatione Dominum exorabis: dices cum Psaltes:

Psal. 118. *Servus tuus* (Ancilla tua) *sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* Nemo namque dictis inter-

Act. 16: dere poterit, nisi cui, ut Lydiæ purpurariæ, Dominus
 14. minus cor aperuerit: quod ergo Concionatori Augustinus,

L. 4. de gustinus, ut scilicet *sit Orator antequam Dictor*, idem
doct. & ego suggero tibi, ut quò dicenda capias, auditu
Christ. orationem præmittas, oratrix antequam auditrix.

6. 15. QUARTÒ, avidè attendes ad verba singula diligenter, sit ne aliquid quod te in particulari concernat: nam cum plures alloquatur unica Concio &, quod dicitur omnibus, singulis dicendum non fit, quæ ad tuam faciunt instructionem summâ attentione excipies.

Serm. 14. QUINTÒ non solis auribus sed & aperto corde hauries verbum Dei: *Nolite habere cor in auribus,*
de Baptista Joanne. urget Augustinus, *sed aures in corde.* Quid videtur tibi de discipulis itinerantibus in Emaus, etiam eorum corda penetrabant dulcissima verba Jesu? eos

Luc. 24: ipsos audias: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,*
 32. *dum loqueretur in via & aperiret nobis Scripturas?* Cor cum his aperiat quisquis ex Verbo Dei hoc incrementum desiderat. Quæ olim Centurionis Cornelii Petrum, eadem fit & cordis tui vox ad Concionatorem: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus*
Act. 10: *audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.*
 33. *mino.*

SEXTÒ non quomodo, sed quid dicatur, attendes

des poma non folia carpenda sunt, male audiunt apud
 Apostolum, qui quærunt magistros *prurientes au-* 2 Timoth. 4: 3.
ribus: perinde est quomodo intimetur divina volun-
 tas siue cum siue absque gratia verbi dummodo il-
 lam intelligas: certè gloriatur Apostolus nun-
 tium se egisse apud Corinthios fidelem quidem, sed
 non in sublimitate sermonis neque in doctis humanæ 1 Cor. 2: 1
 sapientiæ verbis: Non enim in sermone, est Regnum Dei, 13.
 sed in virtute. „ Non est Theatrum Ecclesia, de- 1 Cor. 4: 20.
 „ nuntiat Antiochenus Orator, ut ad delectationem Hom. 2: ad An-
 tioch.
 „ audiamus: adjutos hinc recedere oportet, lucratos
 „ quicquam amplius & magnum, sic recedere expe-
 „ dit; quoniam temere & frustra proficiscimur, si
 „ ad tempus refrigerati sic recesserimus vacui & di-
 „ ctorum utilitate inanes facti. Quæ mihi horum
 „ plansum utilitas, quæ laudum & tumultuum?
 „ laus mea est per opera, vos omnia, quæ dicuntur,
 „ exhibere: tunc ego felix habendus & beatus, non
 „ quando suscipiatis, sed quando omni cum alacri-
 „ tate faciatis quæcunque à nobis audieritis. Si enim
 „ Ecclesia esset Auditorium Rhetorum, addit D. A- Hom. de Sementi.
 „ thanasius, oportuna res esset eloquentia: sed quia
 „ certamen de moribus & de fructificatione propo-
 „ situm est, & cælum est quod expectatur non lin-
 „ gua requiritur sed mores boni.

SEPTIMÒ non ægrè feras si reprehendaris:
 nuntio namque non præscribendum à te quæ nun-
 tia ferat ad te, sed tibi ab illo ea, quæ affert, acci-
 pienda sunt. Innocens es? ut quid igitur obmurmur-
 ras? non potest movere dolorem pressura ulceris
 quo non laboras. Rea teneris? quæ debes esse fan-
 cta corpore & spiritu, cur te non emendas? miseræ
 animæ

animæ, quæ non medicos sed vitiorum suorum
 sensores & pedaneos seu palpones amant : Audi
 quàm ægrè id ferat Dominus ejusque minas forme-
 da: „nunc ergo ingressus scribe ei super buxum (Isai.
Isai. 30: præcipit Isaiæ) & in libro diligenter exara illud, &
8, 9, & 10. erit in die novissimo in testimonium usque in æ-
 ternum : populus enim ad iracundiam provocans
 est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem
 Dei. Qui dicunt videntibus : nolite videre. Et
 aspicientibus : nolite aspicere nobis ea, quæ recta
 sunt : *loquimini nobis placentia*, videte nobis erro-
 res, &c. *Erit tempus*, scribit Apostolus, at cave ne
2^a Tim. 4: illud advoces, *cùm sanam doctrinam non sustinebunt,*
3. *sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros.* Vt
Proverb. *impius* ait Proverbiorum Autor *procaciter obfirmat*
21: 29. *vultum suum, qui autem rectus est, corrigit viam suam.*
 Miserum aliàs Prædicatoris officium, quod vel vi-
 lissimo operario in suum discipulum licet, in eo non
 non careat : *argue, obsecra, increpa*, suggerit proinde
 Apostolus. Talis olim Germanus Patriarcha Con-
 stantinopolitanus, quem ea de causa B. Joannes De-
 mascenus vocat *Virum liberâ atque intrepidâ pietate*
In vita S. *præditum.*
Stephani
Junioris.

OCTAVO Admitte, quod tibi commendatur
 aut præcipitur, idque operi mancipa, hic enim
 omnis exhortationis finis. „Coimus ad literarum
 divinarum commemorationem, (habet Tertullia-
Apolog. c. nus) si quid præsentium temporum qualitas aut
39. præmonere cogit aut recognoscere : certè fidem
 sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam
 figimus, disciplinam præceptorum nihilominus in-
 culcationibus densamus. Ideoque quæ Jesu vis esse
 Ancilla

Ancilla imò & Sponsa, sequere sensum & consilia Jesu, quæ tibi per ejus ministrum è Concione constant: non te suis cæteroquin accensebit: *Si quis diligit me sermonem meum servabit*, habent ejus verba. Joan. 14: 23.

Qui enim ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Adeoque periculum majus est (loquor verbis D. Cypriani) voluntatem Domini cognovisse, & in Dei voluntatis opere cessasse: L. de Discip. & Bono Pudicitia. intimatur namque ut fiat.

NON ò audita in memoria recondas, eaque vel tecum in corde tuo vel cum aliis conferas, quo te & eas ad opus exstimules: cadat semen verbi divini in terram bonam, quales ipso Christo interprete sunt hi: *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia:* Luc. 8: 15

Animalia immunda censentur. Ideoque hinc Colloquiis tuis & Cogitationibus materiam eruas & suppedites: id te doceat Virginū Prædux, quæ Evangelio teste, *conservabat omnia verba conferens in corde suo.* Luc. 2: 15

„ Nonne cernitis filios vestros (etiam secularibus inculcat D. Chrysoft,) ea, quæ discenda suscipiunt, Hom. 5. in Matt.
 „ totius diei continuatione meditari? quantò id magis nos in spiritualibus studiis præstare debemus?
 „ alioquin nihil huc nos proderit convenire haurientes in dolium pertusum singulis diebus: & ne tantum quidem studii in horum quæ diximus conservatione ponentes, quantum erga aurum argentumque solemus adhibere. Paucos enim nummos
 „ cum aliquis acceperit, & reponit in crumenam, & obsignat sigillo, nos verò, cum longè auro gemmisque preciosiora suscepimus eloquia & spiritus
 „ thesauros adepti, non ea in penu & scrinio animæ

recondimus, sed negligenter &, ut fors tulit, finimus ex mente nostra effluere. Quisnam igitur, nostri miserebitur amplius, cum ipsi nobismet infidiamur atque in tantam nos pauperiem sponte, cogamus?

DECIMÒ: Non turberis si bona quæ audis universa in memoria non retineas: nam quemadmodum vas, quod sæpius aquâ perfunditur, purum permeat etiam si aqua infusa statim effluat; ita si mentis benevolam doctrina spiritualis crebrò pertransierit, quamvis ibi non persistat, ipsam tamen mentem nitidam Deoque placentem reddit & conservat. Utilitas tua singularis. non in hoc sita est, ut doctrinæ verba memoriæ commendes, sed ut doctrinæ verborumque effectus in te remaneat, id est, ut tua doctrina puritatem interiorem paratamque voluntatem adimplendi mandata divina consequare.

UNDECIMÒ pro instructione data & accepta Deo gratias agas, ejusque adiutorium, quo eam operi mancipēs, humiliter implores: Omnia namque, quæ utiliter proferuntur, (ait S. Cyprianus,) & æternæ vitæ statum tractantibus vel definiunt vel promittunt, ita demum fructuosa sunt, si ad emolumentum operis divinæ indulgentiæ viribus adiuvantur: non solum proferimus verba, quæ de scripturarum sacris fontibus veniunt, sed cum ipsis verbis preces ad Dominum & vota sociamus, ut tam nobis quàm vobis & sacramentorum suorum thesauros aperiat, & vires ad implenda, quæ cognoscimus, tribuat, *neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Gratia celestis pluviam indiget Verbi divini sementis, eam advo-
D U O

Supra.

1 Cor. 3: 7.

DUODECIMO tandem tibi sufficiat Superioris tui Alloquium & præsentia, quibus in Ecclesia frueris: exigunt aliquæ crebriorem accessum ac colloquium frequentius: si subtrahantur, se negligi aut contemni conqueruntur, at querelâ injustâ, si ad D. Ambrosii præscriptum attendant: „ Viduarum ac „ Virginum domos nisi visitandi gratiâ juniores ad-
 „ re non est opus, & hoc cum senioribus, hoc est vel
 „ cum Episcopo, vel, si gravior est causa, cum Præs-
 „ byteris. Quid necesse est ut demus obtrectandi lo-
 „ cum secularibus? quid opus est ut illæ quo-
 „ que visitationes crebræ accipiant autoritatem?
 „ quid si aliqua illarum forte labatur? cur alieni lap-
 „ sus subeas invidiam? quàm multos etiam fortes il-
 „ lecebra decepit? quanti non dederunt errori locum
 „ & dederunt suspicioni? cur non illa tempora, qui-
 „ bus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non
 „ Christum revisas? Christum alloquaris, Christum
 „ audias? illum alloquimur cum oramus, illum audi-
 „ mus cum divina legimus Oracula. Quid nobis cum
 „ alienis domibus? una est domus quæ omnes capit:
 „ illi potius ad nos veniant qui nos requirunt. Quid
 „ nobis cum fabulis? ministerium Altaribus Christi
 „ non obsequium hominibus deferendum recepimus.
 „ Hæc Mediolanensis Hierarcha, iis quidpiam addere foret actum agere: ideóque finiens hunc Tractatum moneo cum Apostolo: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia; & tu Virgo memento, quia in medio laqueorum ambulas: & mul-
 „ tæ veteranæ Virgines castitatis indubitatæ in ipso mor-
 „ tis limine coronam perdidere de manibus.* Abundans
 cautela non nocet.

L. I. Offic.
c. 20.

Coloss. 3:
16.

S. Hier.
Epist. 22.
c. 13.